

tandem animo eritis? memoriam Milonis retinebitis: ipsum ejicietis? et erit dignior locus in terris ullus, qui hanc virtutem excipiat, quam hic, qui procreavit? Vos, vos appello, fortissimi viri, qui multum pro republica sanguinem esfudistis: vos in viri, et in civis invicti appello periculo, centuriones, vosque milites: vobis non modo inspectantibus, sed etiam armatis, et huic judicio praecedentibus, haec tanta virtus ex hac urbe expelletur? exterminabitur? projicietur? O me miserum, o me infelicem! revocare tu me in patriam, Milo, potuisti per hos: ego te in patria per eosdem retinere non potero? quid respondebo liberis meis, qui te parentem alterum putant? quid tibi, Q. frater, qui nunc abes, consorti mecum temporum illorum? me non potuisse Milonis salutem tueri per eosdem, per quos nostram ille servasset? At in qua causa non potuisse? quae est grata gentibus. A quibus non potuisse? ab iis, qui maxime P. Clodii morte acquierunt. Quo deprecante? me. Quodnam concepi tantum? aut quod in me tantum facinus admisi, judices, cum illa judicia communis exitii judicavi, patefeci, protuli, extinx scelus? Omnes in me, meosque redundant ex fonte illo dolores. Quid me reducem esse voluistis? an ut, inspectante me, expellerentur ii, per quos essem restitutus? Nolite, obsecro vos, pati, mihi acerbiorem redditum esse, quam fuerit ille ipse discessus. Nam qui possum putare, me restitutum esse, si distrahar ab iis, per quos restitutus sum?

XXXVIII. Utinam dii immortales fecissent, (pace tua, patria, dixerim: metuo enim, ne scelerate dicam in te, quod pro Milone dicam pie) utinam P. Clodius non modo viveret, sed etiam praetor, consul, dictator esset potius, quam hoc spectaculum viderem. O dii immortales! fortem, et a vobis, judices, conservandum virum! Minime, minime inquit: immo vero poenas ille debitas luerit: nos subeamus, si ita necesse est, non debitas. Hiccine vir, patriae natus, usquam, nisi in patria, morietur? aut, si forte, pro patria: hujus vos animi